NOBILISSIMO CELSISSIMO & POTENTISSIMO HEROI,

D. GEORGIO

COMITI de ABERDEEN, Vice-comiti de Formartine, D. de Haddo, Methlick, Tarves, &c. Comitatuum *Aberdonensis* & *Lothiani* Vicecomiti integerrimo,

SUMMO SCOTIAE CANCELLARIO

Avitæ proavorum in Regem fidei Hæredi dignissimo, pietatis & justitiæ assertori strenuissimo, ad maxima quæque nato, Musarum fautori propensissimo, Mæcenati perpetim colendo.

Theoremata hæc Philosophica, (quæ A. P. D. O. M. *ad diem* 9 Augusti, *publico Examini subjicient ingenui aliquot Adolescentes ex Athenæo* Marischallano, Universitatis *CAROLINÆ ABERDONENSIS, hinc Vice cum Laurea Magisteriali emittendi*, in dedissimi affectus, & sempiternæ observantiæ monumentum. D. D. C. Q.

IACOBUS LORIMER Praesis.

Alexander Mackondachie,
Alexander Still,
Alexander Walker,
Andreas Mitchell,
Archibaldus Grant,
Carolus Gordon,
Georgius Gordon,
Georgius Leslie,
Georgius Skene,
Gulielmus Jameson,
Gulielmus Thwrie,
Jacobus Burnet,
Jacobus Elphinston,
Jacobus Ogilvie,
Ioannes Forbes,
Ioannes Gallie.
Ioannes Gordon,
Ioannes Keith,
Ioannes Irwing,
Ioannes Leslie,
Patricius Dumbreck,
Patricius Grant,
Robertus Burnet,
Robertus Gordon,
Robertus Sharp,
Robertus Smith,
Samuel Nerinch, Philos.
D. Thomas Forbes,
Thomas Jaffrey,
Walterus Ogilvie.

Veritatem quærunt Philosophi, inveniunt Theologi, soli Religiosi possident. *Mirand.*

I.

Entem humanam mediam statuit Deus inter se & res qualescunque materiales, quam licet in hoc corporis ergastulo multis infantiæ & sensuum præjudiciis prægravari doleamus; eam tamen sufficienti facultatum apparatu instruxit clementissimus naturæ Author, quibus possit hæc onera abstergere, & per scalas rerum subinde rerum ad ipsum ascendere. Intellectum dedit ut vera dignoscerentur, & voluntatem ut bona amplecti & mala evitare possimus. Nusquam sufficius dirigitur intellectus, quam cum mens apud se statuit primum sedis de omnibus dubitare, & quæ prius ut vera admiserat, jam tanquam falsa rejecere: nullique propositioni assensum integrum præbere, nisi quæ adeo evidens sit, ut absque interno conscientiæ remotu ei resragari nequeat. Hæc sedis dubitatio, & prudens judicii suspensio, tantum abest ab omni Atheismi aut Scepticismi suspicione, ut methodum dixerim propemodum unicam ad investigandos nostri ipsius, Divini numinis, & rerum materialium existentias; unde prima indubitata veritas est *Ego dubito*, i. e. *cogito* ergo *sum*.

II.

Quandoquidem inter alias quæ mihi cogitanti obversantur ideæ, unam reperio entis summe perfecti, quæ nec ab objectis extremis provenire, nec à me effingi potuit, aliunde autorem hab re necesse est, qui aliis esse non potest, quam qui tot ac tantas habet perfectiones, quales in idea representantur; quæ cum summæ sint omnino summum ens supponit, quod à se & necessario existit; hoc est quia summa perfectum, ideo unum simpliciter, & summe bonum est, ac proinde non ulterius dubitandum quin nos talibus sensationibus & sensibus præditos finxerit, quibus dum recte utimur, omnino nequimus falli, illudque tantum pro vero amplectendum est, quod *clare & distincte percipitur*.

III.

Res materiales existere deprehendimus, ex variis affectionibus & ideis quas in nobis experimur, quarque à voluntate nostra non dependent, sed ab externis objectis provenunt. Sed quid sit corpus naturale, & ex quibus componatur principiis, verissima semper fuit, & adhuc est in scholis quæstio: in qua Antiqui magis conjecturis quam rationi indulserunt. Insolens nimis est Chymicorum jactantia, dum omnium corporum principia à sale, sulphure, & mercurio accersiunt, cum hæc ipsa sint corpora composita, & aliis simpliciotibus originem debeant. Sed insolentius garriunt Platonici qui effectuum naturæ causas ex spiritu mundi immateriali, nescio quo, directore omni cognitione destituto hauriunt. *Aristotelis* materiam & formam libenter admiserimus, modo non aliud intelligatur quam materia varie figurata, motuque diversimode determinata: ex sola enim varietate magnitudinis, situs, figuræ, motus, & quietis innumeris inter se modis combinata, oriuntur omnium corporum naturalium formæ, omnes qualitates sensibiles, & tota denique aspectabilis hujus mundi diversitas.

IV.

Motus est *successiva applicatio corporis, omnimoque ejus partium exteriorum ad diversas partes eorum corporum, quæ illud immediate contingunt.* Omnis motus est localis pulsio; unde qui naturales audiunt, ut ascensus levium & descensus gravium, non minus ab externis proficiunt causis, quam qui maximè violenti vocantur. Eædem mechanicæ naturæ leges efficiunt ut aqua ascendat in syphonibus, & non descendat in angusto tubo, obturato superiori orificio, quæ faciunt ut desiliat in aperto. Ab aeris gravitate & elaterio petendæ sunt rationes experimentorum *Boylani*, *Torricelliani*, *Magdeburgici*, & quotcunque similium; in quibus non tam natura vacuum abhorret, quam efficaci motu propelluntur corpora ad replenda sparia ab aliis corporibus derelicta.

V.

Seria miræ varietatis motuum quos in summis corporibus cernimus, observatio, Philosophos omni ævo adegit ut varias excogitarent hypotheses, vel mundi systemata: inter quas conjecturas post *Copernicum* fœlicissimè philosophatus est *Carlesius*, qui indefinitam mundi expansionem pro fixatum numero in tot vortices distribuit, quorum unusquisque cum omnibus in eo comprehensis corporibus à stella fixa in centro existente, & super axem proprium movente perpetuo defertur. In nostro vortice centrum Sol est, qui ipse immotus manens, nisi quod circa axem proprium volvatur, indefinenter emittit subtilem materiam, causatque omnes motus qui in reliquis Planetis fiunt, citius vel tardius pro diversa eorum distantia vel propinquitate ad centrum.

VI.

Inter nostri vorticis Planetas, primarius est globus hic terraqueus, in cujus visceribus vi interni caloris formantur corpora, quæ *fossilia* vocantur: in cortice & superficie terræ, sunt plantæ & animalia, quorum utriusque generatio est ex ovo juxta Mechanicas & statica leges, i. e. vasa primum idoneà accedente materiâ replentur, quæ vi caloris & exigui cujusdam liquoris fermentata, causat vasorum distensionem, & hinc fit motus succi vitalis in plantis, & sanguinis in animalibus, in utrisque circulantis, in his causa vitæ, in illis vitæ & sensus.

VII.

In plerisque animalibus vigent quinque sensus, in insectis tamen quibusdam probabile est, non alium dari præter tactum, qui cum admodum delicatus sit, vicem suppleat reliquorum sensuum, qui sunt in aliis animalibus: unde papillo non lucis sed caloris gratia ad candelam accedere parandus est, ac proinde si in Microscopiis muscæ videantur habere oculos, ac scorpiones pene centum oculos, non veri sunt oculi, sed pori aliis usibus destinati. Quæcunque perfectionibus animalibus reperiuntur actiones, prudentiam, & judicii exercitium referentes, non aliud sunt quam necessitatis naturæ effectus, nec ab alio fonte promanant, quam ex mero partium corporis mechanismo, pro diversa applicatione corporum externorum; unde merito brutis non alia quam automata censenda sunt.

VIII.

Animalium perfectissimum est homo, qui non tantum allorum objectorum ideas *passive* suscipit, sed & immediate & sponte in semetipso actiones excitat, & hæ sunt quæ humanæ vocantur, & *morales* ac subsunt præmiis & pœnis, quæ nulli externæ leges irrogare possent, nisi libertate arbitrii polleret. In causa secunda nulla est progressus ad infinitum quæ libertate voluntatis procedit. Et quæ in actibus sit libertas omnes sententiæ ex inverso de malis actionibus remotis, & se bonis gaudio. Non sunt moralibus bonæ & malæ rationes, nec ab arbitrariis Magistratus voluntate suspendentes, dependent tamen à libero Dei beneplacito, qui libet Author est essentiæ boni & mali, atque ac naturæ humanæ & Angelicæ.

IX.

Actionum moralium directo dicitur virtus, & consistit in dominatione passionum ad impressionum animalium, ita ut possit homo in actionibus suis optimum quodque semper eligere, & subjectis & totius agentium naturalium Systematis bonum promovere. Passiones primariæ creaturæ admiratio, amor, & odium; secundariæ sunt indefinitæ, quibus omnibus subjungendis sufficiunt pietas, justitia, & temperantia.

X.

Ne in societatibus passiones hominum justos transilirent limites, & deficerent virtutum exercitia, instituit Deus regimen; cujus species licet multæ pestiat instituti, sola Monarchia est perfecta, in qua suprema authoritas est penes unum: ac ibi tantum perfectissima, ubi hæreditario jure in imperio succeditur, ut in Regno *M. Britannia*: à Regis judiciis non licet ad alium provocari, præter ipsum Deum, cui soli actionum suarum tenetur Rex rationem reddere: ac proinde illicitum prorsus, & nefarium est subditis, sive in inferiori Magistratu sive excita cum constitutis, sub ullo Religionis vel libertatis asserendæ prætextu, sui regno Gubernatori resistere, aut justa subsidia denegare, aut Hæredis legitimi successioni obesse: suadent fides & ratio *colendum esse Regem post Deum secundum*, nec à populi aut Magnatum suffragiis, supremam authoritatem dependere *ejus enim solius jussu constituuntur Reges cujus sunt homines.*

XI.

Artium & scientiarum & in universum boni publici incrementa, in societatibus per disciplinarum Mathematicarum professiones & studia maxime promoventur; & unicum est Philosophiæ *Carlesiano-Mechanicæ* elogium, quod à Matheli orta, demonstrationibus innitatur, quæ solæ scientiam pariunt: & observare licet ubicunque vigent Mathematum studia, ibi magni haberi *Carlesium*, & è contra. Quæ in his disciplinis paradoxa apparent, veritissima sunt: *E. G. Dantur figuræ inter se æquales, ubi perimeter unius est infinitè major perimetro alterius. Idem vas plus aquæ continet in valle, quam in montis cacumine. Potest fabricari horologium Solare, quod cæco horas indicet. Et cingulum puerum, cujus ope mergi adultus, possit homo, maria natando travare. Si 50 cypræ pecuniæ post unitatem talem arcularum constituerent numerum, quem totus mundus non contineret. Magis luget Luna in novilunio quam in plenilunio, &c.*

☞ Si quæratur, *An infantes in utero alio peccare possint? An Deus possit facere contradictoria? Cur aqua in antleis altius quam ad 31 pedes non ascendat? Cur canes aversentur sui similium interfectiones, ac quidam homines cælum & canum porcinam? Quæ Cometarum origo & anomalus motus, & variantis figuræ ratio? Unde vesicarum maris æstus? Unde noctambulonum motus? Quanam in natura* Enthusiasmi & Phanaticismi *causa?* Horum & similium phænomenon rationes quam proximas in palæstra exhibere conabimur.

Ite leves nugæ sterilesque valete camœnæ.

ABREDONIÆ Excudebat Ioannes Forbesius URBIS & Universitatis Typographus, *Anno Dom.* M. DC. LXXXIII.